

Jacob Fabricius Anton Hertzberg

Medica Disputatio De Melancholia Hypochondriaca

Rostochi[i]: Pedanus, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703541>

Druck Freier  Zugang



Inscr.

Fabricius, Jacob

Recor: Hutzberg, Anton

R. M. med. 1632

MEDICA DISPUTATIO
DE
MELANCHOLIA
HYPOCHONDRIACA,

Quam

Ausp. D. O. M.

Ex Decreto & Autoritate Amplissima Facultatis medicae in Academia Rostochiensis,

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DN. D. JACOBO FABRICIO,
p. t. Magnifico Academiae RECTORE,
& Collegij Medici DECANO, Archiatro Megapolitano, & Professore ordinario, Promotore & Præceptore suo observanter colendo,

Pro impetrando Gradu Doctoris in Medicinâ
Publico examini subijcie

ANTONIUS HERTZBERG
VVismariâ Megapol.

Addiem 18. Octobris ANNO M. DC. XXXII.
in Auditorio majori
horis matutinis & pomeridianis.



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

Clarissimo, et excellentissimo Viro, Dn. Paulo Neukrantz, Philosoph. & Medicin. Doctori Fautori & Amico pl. honorando haec suam dissertationem inauguralem mittit, et ad eius placidam ventilationem perufficite invitatur



VIRIS

Amplissimis, Consultissimis,
Spectatissimis, Prudentissimis,

D^{NN.} CONSULIBUS

D^{N.} SYNDICO,

Totiꝫ Ordini Senatorio
Reipub. Wismariensis,

Dominis, Fautoribus, & Amicis suis,
Respective Cognatis, & Affinibus,

*Omnibus & singulis perpetuâ ob-
servantiâ colendis,*

hanc Disputationem,

*in sui suorumꝫ commendationem
dicat:*



Antonius Hertzberg,
Wismariensis.



D. O. M. A.

Thesis 1.



Viscera, quæ specialiori, & non ineptâ voce Naturalia Medici vocant, male affecta graves universo corpori inferre noxas, nemo inficias ibit, qui ipsorum actiones, quas jugiter ex lege naturæ edunt, velit contemplari: illa enim œconomiam pro totius salute exercent, & com meatum opportunè congerunt, ne corpus, quod tanquam *πεύμα* quoddam in perpetuo defluxu consistit, sui restauratione defrauderetur, & consumatur.

II.

Inprimis autem admodum celebres sunt duæ istæ coctiones, quarum unam *χύλων*; alteram, *αιμάτων* vocant; quæ plurium partium ministerio perficiuntur; aliæ enim concoquant, & immutant, aliæ distribuunt, aliæ heterogeneum & nocivum, quod cum alimento permixtum erat, ab utili separant & suscipiunt, aliæ alijs intentæ; ex quibus siue una, siue plures, siue pauciores vitiosè agant, corpus varijs ægritudinibus admodum obnoxium redditur.

III.

Ex istorum morborum classe nescimus an famosior in scenam produci possit, quam qui affectionis hypochondriacæ nomine insignitur, multis in locis, & in hisce etiam maritimis valde familiaris, usq; aded ut vix quispiam reperiatur, qui non subindè istius aliquas incurSIONES persentiscat: mirum certè, quomodo hæc latissimè in corpus se diffundat, & gravissimorum symptomatum non tantum in naturalibus, sed etiam animalibus, & vitalibus partibus fiat causa.

A 2

IV. Ut

IV.

Ut verò cætera prætereamus, sæpissimè atris suis fumis ad cerebrum adscendens mentis arcem intrepidè ingreditur, animalesq; spiritus obnubilando, nobilissimas animæ potentias depravat, sensusq; & motus incompósitos facit, hominemq; non raro ed usq; dejicit, ut non nisi solitarijs locis vivere delectetur, unde nomine quidem mutato, at servatâ indole Melancholiæ appellatur, quam veterum industria triplicem constituit, unam, quæ sedem in Cerebro obtinet, alteram, quæ vitio totius corporis accidit, tertiam, quæ in hypochondrijs fomitem habet, cujus solius Theoriam, ac Therapiam præsentî disputatione, *quæ de* investigare decrevimus.

V.

Melancholiæ nomen in medicâ scholâ significat tum naturalem illam, & alimentariam, quæ in jecore ex maximè terrestri chyli portione juxta cum alijs humoribus gignitur, tum excrementariam seu supervacaneam, tum præternaturalem istam Melancholiam, quæ ex naturalibus humoribus per adustionem quasi in cinerem Sale plenum, ut Chymici loquuntur, conversis oritur, magis acris quàm acida, quàm propriè atram bilem appellamus: Non raro autem ipsum quoq; adfectum, apud medicos tam Græcos, quàm Arabes & Latinos denotat, nomen sumens à causa seu humore, qui morbum produxit: Hipp. 1.3. aph. 14. Gal. 2. meth. med. c. 2. & 3. d. loc. aff., c. 6. & 7. quo sensu & nos accipimus.

VI.

Melancholia hypochondriaca communiter dicitur à subjunctâ sede, seu hypochondrijs, ubi causa morbi gignitur & continetur. Avicenna & cæteri Arabes myrachialem; myrach enim ipsis Abdomen vocatur; Aëcius, & alij hodie multi, flatulentam seu ventosam vocant, quod flatibus ægros mirè torqueat & excruciet.

VII.

Definitur delirium per vices recurrens sine febrî, cum metu & mœstitiâ absq; evidente causâ, ortum à vapore tenebricoso, ex hypochondrijs, sive quibuscunq; partibus imi ventris, ob-
istarum.

istarum intemperiem, in Cerebrum sublato, & Spiritus animales inquinante.

VIII.

Genus Proximum est delirium, nempe depravata imaginario, quæ ex conceptis speciebus novas imagines seu intentiones à veritate alienas effingit, quibus si fidem nondum adhibeat æger, Ratiocinationem adhuc illæsam agnoscimus.

VIII.

Idem interruptum seu per vices recurrens, illud à melancholiâ idiopathicâ differre ostendit, imò etiam ab illâ ex consensu totius exortâ, quæ licet quasdam exacerbationes nonnunquam admittat, continua tamen est, à nostro affectu diversâ, quemadmodum & febrem tertianam continuam aliam esse dicimus ab intermittente.

X.

Febris absentia distinguit à Phrenitide, & Paraphrenitides timor & tristitia à Maniâ.

XI.

Locum affectum seu proprium subjectum asserimus esse Cerebrum, augustissimam illam Principum facultatum sedem, quod tenebricosò quodam halitu alteratum à mediocritate deflectit & patitur, suæq; noxæ simul participes reddit ipsos spiritus animales.

XII.

Sunt etiam qui Cordis intemperiem malum hoc accelerare autmant, quorum sententiâ neutiquam absurdam arbitramur, ita tamen ut dicamus ex quâ causâ cerebrum, spiritusq; animales enormiter contaminâtur, eandem interdum Cordi quoq; communicari, imò sæpè malignos istos fumos prius Spiritus vitales invadere, ipsumq; Cor obsidere, & mox unâ cum Spiritibus vitalibus in cerebrum ascendere, sicut hoc ipsum non obscure arguit sub ipsâ accessione tremulus Palmus, quo Cor contra hostis impetuosum adventum quasi contremiscit, illumq; è suâ ditione excutere nititur.

XIII.

Cum verò hanc Melancholiâ ex intervallis affligere dixerimus,

A 3

xerimus,

Xerimus, præter jam dictum hujus morbi verum subjectum ad-
huc indagandus est alius locus, qui, ubi modò serenitas quædam
animi domicilium, discusso fumo, illustrare cæpit, mox iterum
atras depromat nubes, omnia in corpore obfuscantes, & tene-
bris perfundentes, quam sedem causarum ipsius adfectus appel-
lare possunt.

*20 quædam loquens genere XIV. nomine hypochondri-
cum abdomen præterit.*

Hæc nomine Hypochondriorum exprimitur, & sunt ventris
infimi partes cartilaginibus spuriarum costarum subiacentes;
ventriculus, mesenterium, ejusq; mille venæ, infinitæ glandulæ,
quæ venas comitantur, & caro illa rubra amplitudine insignis
Pancreas, Omentum, Lien, Epar cum omnib; venæ portæ ramis,
Uterus in fæminis, quorum omnium vitio melancholica pathe-
mata exurgere possunt.

XV.

Nihilominus potissima Hypochondriacæ Radix est Lien,
quem humori melancholico expurgando Natura destinavit,
ad eò ut si officio suo aut in attrahendo, ut decet, humore di-
cto, aut in eo pro alimoniâ suâ attenuando & depurando, aut in
superfluo expellendo desit, dubium non sit, quin crassus ille &
inprimis melancholicus humor, per venas vicinas regurgitans
calefiat, inq; totâ œconomiâ naturali mirabiles turbas excitet.

XVI.

Causæ hujus affectionis Externæ sunt multiplices, & sæpè
longo tempore morbum antegrediuntur, primumq; ejus gene-
rationi principium præstant: Interna duplex est, Continens &
Antecedens.

XVII.

Continens causa est vapor melancholicus & fuliginosus, ex
hypochondrijs, sive quibuscunq; partibus imi ventris jam in
cerebrum sublatus, & spiritus animales sui permissione actu te-
nebricosos & obscuros reddens.

XVIII.

Antecedens est humor crassus, feculentus, tartareus in me-
senterio, liene ac vicinis partibus per *συναρθεσιμὸν* seu congesti-
onè potius, quam per *ἰσορροπιμὸν* seu influxionem coacervatus,
modò

modò simplex, ut humor melancholicus naturalis, vel adustus atrabilarius, aut humor pituitosus & crudus: modò è duobus aut tribus mixtus & compositus, semper plurimum flatuosi vaporis admixtum habens, & diuturna morâ, ac prohibita transpiratione putrescens.

XIX.

Quod autem talis humor diversimodè dispositus in diâis locis paulatim colligatur, & efflorescat, variarum partium errore, dum vel concoctrix, vel expultrix, vel utraq; facultas minus rectè suum facit officium, committitur: cui si accedat alimenti impuritas, eò uberior excrementorum proventus cum virium jacturâ metuendus.

XX.

Ratione ventriculi, quando frigidior ipsum occupavit dyscrasia, fit, ut in ingesto cibo, qui in uniformem albicâtem succum converti debebat, variæ crudæ partes relinquuntur, quæ postea à ramis venæ portæ allectæ, vel obstructions insignes in ijs pariunt, vel etiam ad Epar & Lienem distributæ, crudi, vitiosiq; humoris. multum suggerunt.

XXI.

Quin & in intemperato Ventriculo propter improportionatum calorem alimenta corrumpuntur, alienam qualitatem induunt, & quasi acescere videntur, quæ materia postea ad secundæ coctionis viscera delapsa non tantum ad hujus melancholiæ generationem, sed ad genitæ etiam incrementum & exacerbationem insignè confert symbolum.

XXII.

Diocles, referente Gal. l. 3. d. loc. aff. c. 7. censuit orificium ventriculi inferius, & intestina proxima aliquando inflammari, hinc chylum contentum aduri, superaffari, & in nidorosum excrementum converti, ex quo postea, durante partium affectione, & materiæ idoneæ generatione, Melancholia hypochondriaci excitetur: at durius, si vim verborum spectare velimus, Diocles videtur dixisse: non etenim tumor ventriculi & intestinorum inflammatorius absq; febre consistere, nec diu durare potest, veluti morbus acutus, celeriter ægrum pessundans; cujus
cujus

cujus contrarium videmus, cum hypochondriaca Chronicus sit morbus, & plerumq; sine febris: Quâ de causâ sunt, qui Dioclis mentem non de verâ inflammatione, sed intemperie calidiore, quam *Φλόγασιν* appellant, interpretantur, à quâ cibi *ανάδοσις* ad intestina & Epar impeditur, ægerq; illâ parte tensionem & velut ardorem percipit, undè & copiosi flatus eleuantur, cum plurimo seroso humore, qui per os plerumq; non aliter, ac si ex Cerebro delaberetur, effluit.

XXIII.

Dum autem malum hoc frequentiore sedem in Liene habere dicimus, Mesenterium & Pancreas non excludimus; utpotè quæ partes propter connexum, quo venas sortiuntur ab uno trunco communes, & viciniam, quâ se mutuo contingunt, ipsamq; operis communionem, quâ in depurando sanguine occupantur, Lienis sortem unâ plerumq; experiuntur.

XXIV.

Cujus veritatem fateri cogetur, qui Mesenterij glandulas cum Pancreate, omniumq; indolem & structuram considerabit, in quibus, tanquam receptaculis, ingentem excrementorum colluviem diuturno tempore nobiscum innoxie circumferre possumus; neq; tamen latentis oneris molestiam Mesenterium percipit, priusquam vicina viscera corrupta monstruosa procreent symptomata, corpusq; lentè confirmatur.

XXV.

Quin nec ipsum omentum à varijs tumoribus, scirrhis, ulceribus & purulentis Apostematibus innoxium perpetuò est, ut & hic suum focum hypochondriaca habere queat: quicquid enim dictæ partes continent humoris, ut plurimum diutinâ mora incrassatur, inq; Naturam excrementi melancholici transit, quamvis & hoc sæpe à Liene ipso eò deponatur.

XXVI.

Suoapte verò Lien vitio hypochondriacam arcescit intemperat9 vel obstructus, dum humorem melancholicum attrahere, depurare, & expellere nequit, quod & contingit, quando vel justo amplior, vel minor existit: ubi præter naturam intumuit, ineptus est recipiendis amplius excrementis, quæ proinde regurgitant,

regurgitant, & reliquum corpus inficiunt: similiter ejus imminuta magnitudine, continere nequit tantum humoris melancholici, quantum Natura exigit, unde restagnans illud in venas mesenterij, & loca circa ventriculum, ubi plures ac majores Venæ portæ rami inter Ventriculum & Lienem congregantur, emanare & effundi necessum est.

XXVII.

Hepatis quoq; noxâ hypochondriaca contingit, cum nimio suo calore inignem cruditatum copiam ex stomacho attrahit, eademq; intemperie humores plus justo calidos progignit, quos vel in venis, quarum numerus definiri vix potest, retinet, vel per omnes venæ portæ diffundit.

XXVIII.

Longe verò truculentius hæc affectio sævire solet, si hæreditariâ quadam infelicitate Viscera naturalia ab ipsis vitæ primordijs imbecillitatem contraxerint, aut Venæ in viscera imi ventris disseminatæ connatam à primâ conformatione angustiam adeptæ sint; quæ utiq; vitia humanam operam fermè respiciunt, & homini ita disposito laboriosam vitam reddunt.

XXVIII.

Colluviæ vitiosi humoris, enarratis jam modis in Abdominis partibus detenta, quibus polleat qualitatibus, inter autores non convenit, alijs eam calidæ, alijs frigidæ naturæ dicentibus, ac cum effectus suis attestentur causis, pro diversitate corporum, ipsorumq; locorum, ubi refidet, varietate, potius promiscuè illâ indolis, & in hoc subjecto frigidâ, in alio calidam, semper tamen siccâ, affirmare non dubitam, quam rectissimè dignoscere prudentis est medici. Cerrum enim est aliam ex melancholico humore naturali, eoque frigido in venis retento, & morâ ac obstructione calefacto existere, aliam ab humore adusto, aliam à phlegmate crasso, crudo, & viscido, vel & cum pauco fermento bilis commixto: unde & quædam mitis, quædam violenta, quædam incipiens, quædam confirmata appellatur.

XXX.

Sexus quoq; sâmineus melancholicis insultibus apprimè obnoxius est, tum quod muliebris natura ex sese animi magis

B

fit

fit demissi & pusilli, tum quod sanguis, qui peculiari Natura
lege singulis mensibus excerni debebat, restagnans & introrsum
refluens, facile in Uteri vasis corrumpatur, & retras, exhalatio-
nes Cordi & Cerebro inimicissimas expiret; quomodo natu-
Hypochondriaca melancholia eadem, quæ reliquæ, effecta pro-
ducit, & nonnunquam majori furore debacchatur ob mirabilem
Sympathiam, quâ Uterus cum universo corpore conspirat.

*quas hi
reg. elegantes
& mulieris.*

*pariter o fecerint mentionem
vixit Galen: 1. 5
de aff: cap: 5
ma quæ
munt manare
rat: Axi:*

*Orator: x
ari venen
ca aserit:
a. quid
epellenti*

XXXI
Indolem ejus elegantissimè depingit Hipp. lib. de morbi.
virgin. Virgines, inquit, quibus nuptiarum tempus instat, ma-
turaq; jam Viro sunt, spectrorum imaginarijs terroribus affli-
guntur, & istud sub mensium descensum magis experiuntur,
non valde antea hinc afflicte: postea enim sanguis in uteri locel-
los descendit, velut qui effluere debeat; cum igitur exitui via
minimè pateat, copiosior autem sanguis percibos & corporis
incrementum afflaat, tunc sanguis effluvio carens propter co-
piam ad Cor & septum transversum resilit: ubi igitur hæc op-
pleta fuerint, Cor obtupescit, indeq; torpor, & ex torpore de-
mentia invadit.

XXXII
Externæ hujus morbi causæ sumuntur à Rebus non natura-
libus, quas, prout pabulum & fomentum morbo nostro gene-
rando adferunt, ordine proponemus.

XXXIII
Aër ambiens corpora nostra diversimodè immutat, dum
indefinenter tum per Respirationem, tum per Transpirationem
in profundum corporis se insinuat; estq; incommodus aër siccus,
admodum calidus, adurens: frigidus, nebulosus, pluviosus:
magnam etiam vim obtinet tempus autumnale, versatio in aère
concluso, fœtido, subterraneo, inhabitatio loci uliginosi, mari-
timi, palustris.

XXXIV
Cibi rationem quod attinet, promovent hoc malum, qui
crassi & tartarei succi, terrenæ substantiæ, & sicæ qualitatis sunt,
veluti caro animalium seniorum, cervina, bubula, caprina, le-
porina, aprigaa, caro animalium in aquis & paludibus victi-
tantium

*creavit s. corruptionem
sub plurimob
Mercuri: de*

tantium, ut anserina, anatina: item pisces lacustres & palu-
stres, præsertim qui sunt majores, panis furfuraceus, crudus, se-
micoctus, non fermentatus, qui Belgis in quotidianum cibum
venit, omnia fumo aut aëre indurata, sale aut muriâ condita, si-
ve carnes, siue pisces sint: quò pertinent farcimina, frixa in far-
tagine, legumina, brassica omnis generis, tam recens quam
muriâ asservata, idq; genus alia numero plurima, de quibus
passim apud Practicos pluribus agitur.

XXXV.

Horsum & referuntur, quæcunq; flatulentam vim obti-
nent: imò nimis pingua, dulcia, copioso saccharo, aut melle
condita maximè inflare tum jecur, tum Lienem, ait Gal: l. 13.
meth. med. c. 13

XXXVI.

Improbatur deniq; & cibi varietas, & ex varijs diversarum
ac plerunq; discordantium qualitatum epulis instructa mensa:
Natura enim simplicitate gaudet, & ut victus simplex summè
utilis, ita varius summè noxius.

XXXVII.

Huc refertur etiam aqua cruda & dura, quæ assumpta Na-
turæ laborem creat, & difficulter per corpus tum distribuitur,
tum excernitur, qualis est nivalis, glacialis, putealis, palustris,
stagnans, quam per ætatem olidam esse ait Hipp. lib. d. aer. ag.
& loc. Et licet eas non ingurgitemus, cibi tamen ijs incocti, uti
& Cerevisiæ inde paratæ noxam illam contrahunt, neq; tam fa-
cile deponunt. Vina etiam improbamus, crassa vel dulcia, ut
Malvaticum, Simeniaticum, & aquam vitæ vulgò dictam, vacuo
præsertim stomacho, quod caput perant, & æstum Epatis adau-
geant.

XXXVIII.

Hiscæ annumerantur consuetarum evacuationum in utroq;
sexu suppressiones, per nares, hæmorrhoides, uterum: solita
anniversaria purgatio omiſsa, quæ per pharmaca, vel manum
chirurgi fieri solebat: quartanæ, & aliæ febres prægressæ: im-
moderatus somni & vigiliarum usus: intempestivæ exercitatio-
nes, nimirum mox à cibo sumpto, fecibus alui nondum depo-
sitis:

stis: Veneris usus nimius, intempestivus, pleno ventre & præfente crapulâ susceptus; curæ graviores, studia continua, & parum tempestiva: vitæ genus triste, sollicitum, solitarium, sedentarium, cujus ratione in plurima sanitatis incommoda incurrunt, qui in Bibliothecas se abdunt, & in Musarum confessu locum habent, tum ij, qui totos dies in Curiâ, vel alibi confidentes justitiæ præsumunt, controversiasq; dirimunt.

XXXIX.

Jam ad Signa ordo dicendorum nos vocat, quæ duum sunt generum, & vel Diagnostica vel Prognostica vocantur.

XL.

Diagnostica magnâ ex parte communia sunt alijs hypochondriacis affectibus, & propterea omnia hoc loco recensere minus arbitramur proficuum, ea duntaxat proponentes, quibus unitis & conjunctim sumptis, Medicus certo certius colligit, ægrum à melancholiâ hypochondriacâ derivari.

XLI.

Talia sub initium, & in ipso morbi insultu, sunt cogitationes falsæ, absurdæ, mœroris ac metus sine causâ manifesta de certo quodam Objecto plenæ, quibus adeo sese macerant, ut, aucto morbo, frigido sudore, accedente nonnunquam levi deliquio, non raro perfundantur, interdum easdem adstantibus cum gemitu recensent: per thoracem ascendente tenebricoso vapore, cor extraordinariâ, & violentâ palpitatione concutitur, ingruit anxietas, anhelitus difficultas, compressio interdum Diaphragmatis, & circa pectus intra musculos intercostales, vel tunicas externas, internasve oppressio, ut suffocari videantur, in præcordijs exæstuat, & ab effervescentiâ sanguinis insignis calor: arteriæ moleste & validè pulsant, ac subindè mutantur: hypochondria quasi sursum trahuntur, & circa regionem Lienis morsus ac pulsatio percipitur: organa sensuum mirificè infringuntur, hinc aurium tinnitus, oculorum & venarum circa illos intumescencia, vertiginosus motus, vigiliæ molestæ, aut si somnus superveniat, brevis est, divulsus, nunc turbulenus, cum terroribus, insomnijs tristibus; facies sæpe rubescit ex flammâ velut volante, aut leviter pertransiente: frequenter
scapulae

scapulæ & humeri dolorem, artus stuporem, imò universum corpus lassitudinem & imbecillitatem, maximè verò crura sentiunt: superatâ tandem accessione, & pernicioso fumo ex alienis ædibus ejecto, ægri ad consueta & necessaria vitæ munia quidem redeunt, attamen subindè metuunt & vitam sibi acerbam putant, etiamsi omni fere temporis momento sese animam acturos pertimescant, quare & varijs & inconstantibus sunt moribus, nunc avari, nunc liberales.

XLII.

Extra paroxysmum malum istud patefaciunt perpetui ruginus ac murmura circa ventriculum, & in hypochondrijs, itemq; distendens dolor, in primis jejuno ventre: largiter ægri plerumquè edunt, sed alvus, confirmato malo, pertinaciter quibusdam adstringitur, fæcesq; indurantur: sumpto cibo in primis coctum difficili accedit inflatio, & stomachi velut aquæ innatantis fluctuatio, quâ tenuis & pellucida aqua frequenter exspuitur, ructus acidi indefinenter molestant, quos sæpe insequitur vomitus acidus, aut aliâ quâdam qualitate molestus, ingensq; flatuum multitudo per intestina, & totum ventrem oberrare auditur, tandemq; corpus totum paulatim absumitur, & velut contabescit.

XLIII.

Neq; tamen ista accidentia omnia simul, sed magna parte ægros lancinant miris & fere inexplicabilibus modis: & ut plurimum vicissim sedantur, peractâ concoctione, superveniente alvi dejectione, materiæ noxiæ aut evomitione, aut eruptione, flatuum per sedem explosione; quin & refrigerante cibo immisso æstus in præcordijs mitigatur, & vapores reprimuntur: contra malum enormiter exasperant cruditates, pro quarum magnitudine malum crescit, pluresq; habet insultus: & sicut malum mitescit, cibo jam concocto, ita sæpe intenditur, copiosius recens ingesto.

XLIIII.

Uterina melancholia hoc insuper habet peculiare, ut nunc in risum, nunc in fletum ægræ erumpant, & varijs, ijsq; in primis supra regionem cordis, universam mammam aliquandò occupant.

occupantibus, concomitante vehementi magnæ arteriæ pulsatione juxta dorsum, sese enervari doloribus querantur, neq; ab alijs hysteriis symptomatibus sint immunes.

XLV.

Prognostica sunt: Melancholia hypochondriaca curatu difficilis est, præsertim Confirmata, quæ non rarò degenerat in melancholiam idiopathicam, imò in maniam, interdum in Epilepsiam, & Apoplexiam: incipiens autem dextrè tractata sæpius curatur.

XLVI.

Melancholicis hæmorrhoides supervenientes, bonæ sunt Hipp. l. 6. aph. ii.

XLVII.

Urinæ nigricantes si liberaliter cæperint fluere, salutem pollicentur.

XLVIII.

Hæmorrhagia naris sinistra sæpe malum hoc mitigare, vel demoliri visa est.

XLIX.

Atq; morbi Essentia, Causis, & signis explicatis, operæ erit pretium, brevi methodo ejus curationem instituire: Legitima verò morborum curatio fit per indicationes, quas desumemus à morbo, ab ejus causis, à viribus ægri, à partibus laborantibus, ab ætate, sexu, anni tempore, & similibus.

L.

Ante omnia itaq; peccans humor præparetur, & postea modeste, & opportunè per intervalla educatur, obstructions aperiantur, victus ratio crassos humores accumulans immutetur, partibus laborantibus tempestivè prospiciatur, intemperies earundem tollatur, status discutiantur, & quæ præterea incommodant, decenter corrigantur.

LI.

Cum verò partes sint diversæ, à quibus Hypochondriaca dependet, istarum imprimis habita ratione, Causis ejus educendis incumbemus, quæ, ut cæperunt, tollendæ sunt, initio facto ab eâ, à quâ primus motus, adeoq; causæ externæ primas in curando partes sibi vendicant, quæ conveniente Victus ratione seu Diætâ

Diætâ

Dieta subiguntur, cujus tanta est autoritas, ut sub mali iustitia non semel sanitatem sola reddiderit.

LII.

In aëre versetur æger puro, lucido, ad humidum, & prout causa calida, vel frigida fuerit, frigidum, vel calidum vergente; magis verò aëris humiditas expetitur, quàm caliditas, modum tamen non excedat: utile etiam erit sæpiusculè grato & suavi odore conclave replere, qui spiritus benè afficiat: si quoq; loci ratio, à quo longi morbi non raro soventur, ægro suspecta sit, solum vertere de consilio Hipp. conducet.

LIII.

In administrando alimento notetur. Cibi qualitas: cibus detur boni succi, & facilis concoctionis, qui insuper non nihil humectet, naturæ flatulentæ expers, elixus etiam sit potius quàm assus, ubiq; tamen memor Hippocratici Aphorismi: partum deterior cibus & potus, sed suavior, meliori quidem sed ingrato est præferendus: carnibus incoquatur endiv. borrag. bugloss. cichor. acerol. lactuc. asparag. interdum cappares apponuntur, interdum intinctus ex modico aceto vini, in quo pro re natâ macerata sint aliquandiu. sol. cohlear. nasturt. meliss. 2. Cibi quantitas; quia ventriculus semper languet, non plus cibi ingeratur, quàm possit concoquere; aliàs non in corporis, sed morbi ab initio incrementū. 3. cibi assumendi tempus, modus, & ordo; ubi religiose caveas, ne importuno tempore ægrum cibus, nimirum priore cibo non concocto, aut ventre non exonerato: neq; dissimiles inter se cibus ægro unâ vice indulgeas; & commodè prima mensa inchoatur à jusculo cōfecto ex hordeo, cremore avenæ, brodio carniū juniorum, eritq; illud efficacius, si addantur passulæ coxinthiacæ; ultimam verò mensam claudere æger poterit marilladâ, vel superassumpto pulvere aliquo stomachali, subastringente magis, quàm nimis calefaciente.

LIV.

In potu condonandum est aliquid consuetudini; alijs cerevisia, alijs vinum magis arridet, alij largius, alij parcus bibere per sanitatem consueverunt: ita tamen permittendus, ne noxam inferat difficulter emendabilem; Vinum autem in hoc ma-
lo præ-

*Virgo purpureos ut ab Hederis appellat in dextera
60 p. v.*

Io præstantissimum est, idq; sic non admodum vetus, subdulce
potius, quam acerbum, tenue, album, maturum, defæcatum:
alij probant dilutum aq. borrag. bugloss. aut simili, quod forras-
sis locum habet, si vinum sit potentius. Alij varia medicata
vina & cerevisias commendant, ex quibus probamus, si æger
primum haustum semper sumat de Vino vel Cerevisiâ, in quâ
insusæ sint summit. absinth. vel centaur. min. cum florib. & pa-
rum de scolopondriâ, eritq; hic potus instar omnium. Cerevi-
sia, cujus frequentior in nostris regionibus est usus, bibatur non
recens, probè cocta, bene defæcata, quæ eò magis laudanda,
si lupuli amaritudine linguam moderatè imbuat, cujus ratione
magis fit appropriata Lienis & meatibus urinaris. Sunt qui in
Lienis morbis peculiariter prodesse scribunt potum ex vase ta-
mariscino, vel si haberi potest, hederaceo.

*Virgo
coloris
chlorasini rescat Varand. d. morb. LV.
ex; Langidus
21. febrem
glociam
pento nomen
Lienis Beaban
y alias Fe
pallidum
ou scilicet
melancholia
ouero veng
fert.
Scimus mor
a casta mo
ollit, illu
e gmenat;
ig hoc facit
Lepiades vef
Cello vob
ut laro a
nante unrem.
a vnamy ma
p: h. reet
noe devior*

Somnum meridianum, uti etiam omnem mox ab assum-
pto cibo fugere oportet; contra nocturnus est summè salubris,
quod corpus, alioquin in hoc morbo ficcius humectet, Spiri-
tusq; animales blandè reficiat: vigilie verò nequaquam modum
excedant, quod exsiccant, & plura mala accersant: eadem de
causâ etiam opera charitatis, quæ connubialis amor postulat,
parcius præstare expedit.

*Evacuaciones naturales quotidie ritè procedant, nilq; ma-
lum magis mitigat, quam alvi benignitas, quæ ut conservetur,
omni studio procurandum: si forsan per Vitæ genus aliquot
horis considerare æger cogatur, moderatum corporis exercitium
semper ante pastum præmittatur, ut calor natiuus lenitè ex-
citeur.*

LVII.

Tandem & animi affectibus æger fideliter imperet, seq; a-
micorum conversatione, colloquijs, jucundarum fabularum
enarratione, suavi musicorum instrumentorum harmoniâ
subinde recreet, tristitiâq; & mœrorem penitus fuget: Quod
si officio, curis mordacibus, & arduis negotijs pleno, fungatur,
eo se tandiu abdicare erit consultum, donec morbi levamen
sentiat.

LVIII. Dixit

*quod sit illo aupto allegato
ac vna referant, ut humores o resagant
Virgilio qd fudo quibz tale quid
Vergilio qd fudo quibz tale quid*

mulieribus vitio suppressorum mensium hypochondriacam patientibus, Saphena utiliter inciditur. Quin & cucurbita scarificata, loco sectionis vena pedibus nonnunquam commodè administrantur. Particularis per Hæmorrhoides sanguinis evacuatio præsentaneum habetur Hypochondriacæ remedium, quod immediatè lienem ac mesenterium à fœculenta saburrâ liberet, in quam rem & Hirudinum applicatio proderit.

LXIII.

Dehinc convertimus nos ad ipsum humorem in hypochondrijs hospitantem, à quo jam plures indicationes haurimus: ejus crassities indicat attenuationem, visciditas incisionem, frigiditas calefactionem, siccitas humectationem, quia obstruit, aperitionem, quia plerumq; aliquid materiæ fervidioris admisceatur, contemperationem.

LXIV.

Medicamenta, quæ hisce indicationibus satisfaciunt, Auctores vocant Præparantia, seu Digestiva, quæ humoris qualitates emendant, vias oclusas aperiant, adeoq; Naturæ humorem obedientem reddunt, ut commodius è corpore eliminari possit.

LXV.

In horum usu judicio opus est: quæcumq; enim remedia validius calefaciunt, morbum reddunt asperiores, experientia teste, quæ illi ægri, qui ad rugitus & flatus compescendos duntaxat respiciunt, & valdè calidis & siccis remedijs utuntur, semper deterius habent.

LXVI.

Quare uno oculo humoris naturam, altero laborantis partis, & accidentium conditionem inveniatur Medicus, ut decenter humectet, & simul nunc refrigeret, nunc calefaciat, nunc aperiat, nunc attenuet.

LXVII.

Decocta parare solent Practici ex radicib. s. aperient. polypod. quern. eryng. cichor. asari. cortic. rad. cappar. tamarisc. fraxin. herb. & florib. hepaticis, ac spleneticis, illaq; simplicia sæpe coquunt in sero lactis caprini, humectationis, & caloris, si quis adest, contemperandi causâ, tandem in ijs dissolvunt Syrup. appropriatos, è quorum censu sunt Syrup. de succ. fumar. de succ. borragin. de pomis simpl. de pomis regis Saboride cortic.

concordiam imperat, quos imperat, valeat, dicitur
si fortioribus. semper non ob
ab illis ubi
verum
purgantibus
omnibus malum semper parat. Et
 fic. citri. de scolopendr. de lupulo. de meliss. de epithym.
 Oxymel simpl. compos. Scyllitic. Quidam etiam purgantia
 addunt, sed in exigua quantitate.

LXVIII. *Non probat th. 59 ubi ne quidem cl*
q. imm. fies
um in. cal
corrig. et
mentia com
ore. humoq

Aëtius solo Decocto absinthij per triginta aut plures con-
 tinuos dies usurpato, non paucos, universalibus tamen non ne-
 glectis, asserit convaluisse, & ab hypochondriacâ præservato
 fuisse, quo ipso etiam non paucos Scorbuticos felicissimè fuisse
 usos experti sumus: & simplicia sæpe compositis sunt efficaciora.

LXIX. *um maxime. Inhibetur.*

Nobilem etiam usum præstant Syrupi magistrales, qui pro
 medici arbitrio concinnantur, partim ex infusione certarum
 plantarum, partim ex succis earundem legitime depuratis, ad i-
 gnem commistis, & incoctis eum s. q. sacchar. ad justam confi-
 stentiam. Huc quoq; pertinent stillatitiæ aquæ, conservæ, Ex-
 tracta, Essentiæ ex convenientibus simplicibus confectæ; quæ
 omnia ex bene instructis officinis depromi queunt. Neq; abs-
 re erit, pro attenuandis crassis humoribus, & meatibus expe-
 diendis, ad duodecim vel plures dies, Decoctum Chinæ cum
 modico Sassafras præscribere.

LXX. *th. 55. corq; ficum.*

Hisce aliquandiu exhibitis, ægri corpus ope medicamenti
 purgantis, quod omni vehementiâ careat, purificandum est:
 est enim hæc morbi hujus & aliorum affinium indoles, ut sem-
 per fortioribus exasperari; mitioribus verò solutivis vix curari
 videatur; ubi tamen hæc diu, & sæpe continuata nihil juverint,
 ad illa, sed magnâ cum prudentiâ deveniendum est.

LXXI. *vapores caput ferunt, q. facit lig*
quantz

Simplicia conveniunt radic. polypod. Epithymum. Agari-
 cus. Cremor Tartari. folia senæ. Composita sunt Elect. leni-
 tiv. diacatholic. diasena. hiera simpl. hiera cum agaric. hiera
 Logadij, quâ Rex Prolomæus utebatur ad omnia vitia melan-
 cholica. Syrup. de pomis reg. Sabor. Syr. de Sena. oxymel
 helleborat. Electuar. senatum Benodæi, quod is in suo Dispensat.
 mirificè commendat. Pulv. senæ præp. juxta descriptionem
 Montagnan. cujus major erit efficacia, si pro crudo Tartaro su-
 matur cremor Tartari: cui cognatus est pulv. melanagog. Quer-
 cet.

Sam hinc Hiera Logadij videt; convenire illud, quod de C
amech referebat Sosep. l. 5. conf. meo; quod illam contra
non, qualis re

cet. Magni etiam sunt pilul. tartareæ Quercet. & pilul. de ammoniac. item Extract. folior. senæ. hellebor. nigr. Catholicum Quercet. à quorum usu jus pulli Buglossatum vel Boraginatium exhibebitur.

LXXII.

Quæcunq; verò dantur purgantia, aromatizari poterunt Oleo anis. fœnicul. caryi. cortic. aurantior. cinamom. ut à molestis flatibus immunis æger maneat.

LXXIII.

Cum verò peccans humor unâ vice nec educi, nec paucis diebus satis emolliri queat, sapius hæc ipsa per vices reiteranda sunt, ut sensim materia & infringatur, & minuatur: neq; erit de nihilo interdum purgantia ista & alterantia parum commutare, ne Natura uni aut alteri adsuescat.

LXXIV.

Sed quia alvi constipatio, quæ à venarum mesaraicarum, & Epatis p. n. siccitate & caliditate imprimis dependet, in hoc morbo subindè redit, ipseq; æger à frequentiori purgantium usu sæpe abhorret, ut taceam eo ventriculum interdum dissolvi, nihil erit commodius, quam digerendæ materiæ dum opera datur, certis intervallis injicere clysteres, quibus in hisce tartareis morbis magis plerunq; levare ægros, quam purgantibus per os sapius sumptis, multorum testimonio patet, illorumq; contemptu omnino existimo fieri, quod dicti morbi apud nos diutius hæreant, vel radicitus vix eximantur.

LXXV.

Atq; ijs quidam salubrius excogitari poterit, qui subito ad destinatum locum penetrant, insigniter humectant, alvum emolliunt, & lubricam servant, flatus dissipant, humorem crassum in venis mesenterij & lienis diluunt, resolvunt, & paulatim ad intestina evocant, & excludunt.

LXXVI.

Et viam, quæ eorum vis eò integra deferatur, si quæramus, illa valdè est compendiosa: materia enim clysteris à colo intestino recepta mox suas vires effundit in arterias mesentericas inferiores, quæ ferè universæ in colon intestinum inferuntur, & per multas simul anastomoses, ante & post insertionem, cum venis mesaraicis conjunguntur, ut ita largissimè & latissi-

me.

mè suis qualitatibus imbuere possint omnes ventris partes,
quibus cum per suos ramos. Vena porta connectitur.

LXXVII.

Ubi hæc ipsa remedia morbum non leuiter oppugnasse
animadvertimus, paululum ab usu eorum feruari, & recolligen-
di tempus aliquod Naturæ largiri erit proficuum, atq; id ipsum
minimè negligentibus Medicis plus quierè, quam indefinenter
movendo & agendo proficient.

LXXVIII.

Nostro seculo plura inclarescunt remedia, quorum virtu-
tes in refractarijs malis, & desperatis obstructionibus sunt in-
signes; ut Spirit. Vitriol. vulg. Spir. Salis. Spir. Vitriol. philo-
sophic. qui mira in hoc morbo non semel præstitit. Tartarus
Vitriolat. Cremor Tartar. & Acidum Tart. huc etiam pertinet
Spir. Tart. Crystall. tart. & quæcunq; ex Tartaro parantur.
Mistura simplex. Extract. Splenis bovis, quod Crollius describit.
Fæcula aronis. pulv. diaronis Quercet. pulv. cachectic. simpl.
Syrupus splenic. Savanorolæ. Aqua composita ex tartar. &
Vitriol. Penoti. Vinum martiale. Electuar. de chalybe. Vinum
chalybeat. item Sal. centaur. min. absinth. genist. fraxini. Quo-
rum vires frequenti Autores usu comprobantur; & nostro etiam
voto respondebunt, si debito tempore, modo, & ordine ijs
utamur.

LXXIX.

Et cum maxima ipsorum pars inter Diuretica non infimè
habeant locum, eorum usus eò felicius inibitur, si jecoris calidi-
tas nimia absit, & per urinarios meatus Natura colluviem istam
primarum venarum expellere molitur: Laudem tamen in pro-
gressu morbi majorem, quam sub initium curationis merentur.

LXXX.

Multi etiam Vomitoria ægris non verentur dare, eorumq;
usu gloriantur se crassissimos, & maximè contumaces humo-
res, qui dejectorijs nihil moveri poterant, eiecisse; quod uti
verum esse fatemur, sic & hoc verum esse scimus, quod cautè
in ijs præscribendis Medicum versari oporteat, & contraindi-
cantia perpendere, ne malum malo accumulat.

LXXXI.

Vomitibus tutius instituitur ante Digestivorum usum, ut
frigidis,

frigidi, pituitosi humores in Ventriculo, ob ejus imbecillitatem
geniti, evacuentur, qui aliàs à Digestivis in penitiores partes
abrepti, obstructions auferent.

LXXXII.

De Acidulis & Thermis non est ut multum agamus, cum
ipsarum potestas in hisce regionibus nobis haud detur, illa-
rumq; nihilofecius virtutes in hoc & congeneribus morbis,
non paucis, quorum terras illas Natura invidere noluit, pro-
batas scimus, & nosmetipsi probamus.

LXXXIII.

In hanc locum nostrates medici substituunt serum lactis ca-
prini, cujus vis egregie intenditur, si cum succo limonum aut
acero Tamarindorum paretur, & albumine ovi depuretur,
& postea cum succis cichor, & fumar. probe depuratis misceatur,
vel & eidem Melissa, Borrageo aut Buglossa incoquatur, qui liquor
maximè erit efficacis in reliquijs infarctuum resolvendis: simi-
liter Acidulis, & Thermis respondebunt chalybeata remedia
plures dies continuata.

LXXXIV.

Hæc dum intus aguntur, extra corpus etiam vigilemus, &
Topica accersamus, ut, devicto hoste, eò citius victoriã potiamur.

LXXXV.

Et cum inflationes in hypochondrijs, Liene, Ventriculo sa-
tis molestas, ægri percipere soleant, his partibus Fomenta & Sac-
culos applicabimus ex emollientibus, & mediocriter aperitivis,
attenuantibus, permixtis ijs, quæ status discutiunt, vino albo in-
coctis, quorum formulæ cuivis obviæ sunt, & profunt præ ceteris
cort. rad. capp. tamarisc. rad. filic. bryon. cyclamin. albæ. fol. &
summit. rut. rosmarin. absint, cæraur. min. abrotan. calaminth. pu-
le. & ceterach. sem. rut. agn. cast. aneth. anis. fl. ros. rubr. camomil.
melilot. genist. sambuc. &c. si opus, ad Ung. linimenta & Empla-
stra deveniemus, quibus ex oleis selectiora, ut ol. cappar. amygd.
amarar. Ruta, Anethi, Absynthij, de genist. sambuc. lil. alb. cano-
mil. de baccis Ebulli immiscebuntur.

LXXXVI.

Quæ eò tutius ventriculo, alijsq; partibus adhiberi pote-
runt, si à pituitosis humoribus sint liberatæ, quod medicamentis cali-
di ad-

di ad motu frigidi humores dissoluti, distendendo partem, scilicet
res in eo dolores pariant.

LXXXVII.

Suadent etiam Practici, ut, praemissis Universalibus, interdum aeger mittatur in Balneum tepidum ex aq. dulci, incoctis prius humectantibus, & moderatè calidis, quo praesidio corporis siccitas tanquam potior hujus morbi pars mirificè corrigetur, & si post ejus usum regio ventriculi inungatur ol. caryophyll. vel nuc. moschat. per express. admixto modico massich. vel simili linimento, non malè agro consultum ibitur.

LXXXVIII.

Quibus ita expeditis, membra imbecillia ex humoris morbifici malitiâ infestata, ut uterum, stomachum, cor, & cerebrum &c. ad naturalem temperiem reducere studebimus, quæ eò citius obtinebitur, si corroborantia remedia, quorum virtute singulari partium facultates recuperantur, & firmantur, sedulo in usum spectamus: neq; horum tantum locus erit, morbi causis jam mediocriter abolitis, sed etiam totius morbi decursu decenter adhibita efficiunt, ut eò citius superetur.

LXXXIX.

Ratione uteri, itemq; Ventriculi huc referimus, quæ in eorū imbecillitate felicissimè passim à Practicis praescribi solent, inter quæ prerogativam habere videntur Essent. meliss. puleg. extr. zedoariae. Spir. Vitriol. philosoph. idq; genus alia. Lienem insigniter firmabunt Ess. sumar. absinth. centaur. min. cortic. citri. chamædr. & Epati quale est tichor. & absinth. tale est Lien. scolopendr. & cort. rad. capp. Omnium viscerum naturalium Balsamū est Elixir proprietatis Paracelsi quod in sero lactis tanquā vehiculo sumptum, Epati calidiori egregiè prodest: semper enim cavendum, ne frigido Ventriculo studentes, Epati calorem intendamus.

LXXXIX.

In primis autem Cordis & Cerebri toto curationis tempore habenda est ratio, & opera danda, ut illorū Spiritibus à crebro summo appulsu obsuscatis pristinam serenitatem conciliemus, tam interius quàm externis remedijs, in quem finem ex officinis recipimus varias species Aromaticas, olea stillantia aromatum, Aquas, Essentias, Tincturas pretiosas, varij generis opiatas, Electuaria,

morlu.

morsulos; quorum locupletissimus apud Præcticos datur catalogus. Externa dictis visceribus convenientia sūt epithemata, sacculi, olea, & ungu. Balsama cordialia, cephalica &c. quæ pro re nata suo scopo, semper cujusvis partis consideratâ indole, applicabit Medicus.

LXXXXI.

Sæpius verò hæc ipsa Cardiaca & Cephalica propinanda sunt, non tantum extra paroxysmum, verum etiam in & sub invasione, ut fumi maligni eò citius discutiantur, & paroxysmus cesset.

LXXXXII.

Peculiariter etiam cavendum, ne Hepatis regio Topicis externis nimium calefacientibus contingatur, cum partis hujus excedens calor interdum Hypochondriacæ fons sit & origo, quo in loco ungu. rosato, & Santalino aq. cichor. probè lotis, vel & Epithematis ex aq. cichor. endiv. acetos. aut sacculis ex fl. rosar. borrag. bugloss. & Santalo rubro, idq; genus similibus tempestivè utendum.

LXXXXIII.

Tempore paroxysmi vel instantis vel præsentis, si debilitas magna adsit, omnis roborando Cordi cura & cogitatio impendatur, usurpatis, quæ supra commendavimus, tam externis, quam internis: Diaphragmatis & pectoris cõpressiones à flatibus, vel vaporibus sedantur institutis extremorum frictionibus, ligaturis crurum, & coarum, clystere carminante injecto, cucurbitis cum flamma sine scarificatione, lieni, umbilico, toti; abdomini adhibitis, quomodo effumantes vapores à corde & cerebro validè revelluntur, & divertuntur.

LXXXXIV.

Hiscæ jam omnibus secundum methodum administratis, non dubitamus, quin, annuente divinâ gratiâ, optata valetudo cum symptomatum remissione iterum exsurgat: & cum receptacula istarum impuritatũ ita sint comparata, ut facili negotio novos humores, nova recurrentis mali rudimenta, colligere possint, valetudinis reddi hoc esto caput, ut quotannis semel atq; iterum, præcipuè Verno & Autumnali tempore, contra novum dicti morbi incursum, appropriatorum remediorum ope, corpus præmuniatur.

SOLI DEO GLORIA.

me suis qualitatibus imbuere possint o
quibus cum per suos ramos. Vena porta co

LXXVII.

Ubi hæc ipsa remedia morbum non
animadvertimus, paululum ab usu eorum
di tempus aliquod Natura largiri erit pro
minimè negligentes Medici plus quietè
movendo & agendo proficient,

LXXVIII.

Nostro seculo plura inclarescunt reme
tes in refractarijs malis, & desperatis obli
signes; ut Spirit. Vitriol. vulg. Spir. Salis.
sophic. qui mira in hoc morbo non seme
Vitriolat. Cremon. Tartar. & Acidum Tart.
Spir. Tart. Crystall. tart. & quæcunq; ex
Mistura simplex. Extract. Splenis bovis, quo
Fæcula aronis. pulv. diaronis Quercet. pu
Syrupus splenic. Savanorolæ. Aqua com
Vitriol. Penoti. Vinum martiale. Electuar
chalýbeat. item Sal. centaur. min. absinth.
rum vires frequenti Autores usû comprobati
voto respondebunt, si debito tempore
utamur.

LXXIX.

Et cum maxima ipsorum pars inter D
habeant locum, eorum usus eò felicius inibi
tas nimia absit, & per urinarios meatus Nat
primarum venarum expellere molitur: Lat
gressum morbi majorem, quàm sub initium c

LXXX.

Multi etiam Vomitoria ægris non vere
usû glorientur se crassissimos, & maximè
res, qui dejectorijs nihil moveri poterant
verum esse fatemur, sic & hoc verum esse
in ijs præscribendis Medicum versari oport
cantia perpendere, ne malum malo accumu

LXXXI.

Vomitus tutius instituitur ante Dige

C 3

partes,

ignasse
lligen-
diplum
tuentex

virtu-
unt in-
philo-
artarus:
ertinet
tantur.
scribit.
simpl.
tar. &
Vinum
Quo-
etiam
line ijs

nsimã
alidi-
istam
i pro-
entur..

rumq;
umo-
od uti
caute:
indi-

m, utt
gidi,

